



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Auguſt. Hutteni
- 2 Sadnel & unioſoſa nos diſp. 1.
- 3 Arieſocōs breuiter de ſarō phyſicō uſu ni diſp. M. Fied. 3. Alduini
- 4 Diſp. de ſtō. ſcti tūm ſſora tūm officio. Hofmanni
- 5 Diſp. 1. de Coena Dni. eiq. dūm. aſſerēs tō pōtōy & mūhita
- 6 Diſp. 4. de Coena Dni. Hofmanni. ex cap. 1. Cor. 10. ^{ad u. p. 1. Coem}
- 7 De uolūtātē Dni & uolūtātē ipſius Hofmanni
- 8 Drei vnterſchiedli. ſchreiben an d. Conſiſtorium zu
Leipzig, vnter ſchiff. d. Sub Exorcifm
M. Georſt L. ſtani

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO XIX.
DE TRADITIONIBVS
HUMANIS IN ECCLESIA.

*Ex Articulo XV. Confessionis Augustanae & 2. 5.
& 6. articulis mutatorum abusum;*

Quam

Sub auspicijs divini numinis

Sub Praesidio

LEONHARTI HVTTERI, S. Theoo
logiae Doctoris, & Professoris publici;

defendet

M. JACOBUS SETZKIUS Bur-
gensis Saxo.

Mense Majo, horis locoq; consuetis.



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno dō 1ō XCVIII.



AMPLISSIMIS,
EXIMIA PIETATE, PRÆCLA-
RA ERUDITIONE, INTEGRITA-
tisq; laude præstantissimis prudentissimisque
viris, Dn. Consulibus & Senatoribus spe-
ctatissimæ Burgensis Reipublicæ di-
gnissimis Dominis ac fautori-
bus suis multum colen-
dis.

*Hæc themata Theologica officiosè nun-
cupat & consecrat.*

M. JACOBUS SETZKIUS
Burgensis.

DE RITIBVS ECCLESIASTICIS.

Thesis I.

DE ritibus Ecclesiasticis sive traditionibus humanis in Ecclesia, edendi Confessionem Protestantibus necessitatem attulit criminatio Pontificia, quâ nostras reformatas Ecclesias indigno prorsus modo prægravare solebant.

II.

In simulabantur enim nostri Confusionis & ἀταξίας, quasi impatientes essent omnis ordinis atq; disciplinæ, omnesq; leges salutares convellerent.

III.

Vnde factum, ut Ioviniani hæresin nostris Ecclesijs absque rubore impingerent Pontificij; quem Ieiunia & alias huiusmodi corporales exercitationes simpliciter repudiasse, aliqui (sed præter historiarum fidem) scriptitant.

IV.

Huic ergo criminationi obviam ituri Protestantes, partim in genere, suam de traditionibus Ecclesiasticis mentem & sententiam, Articulo Confessionis nostræ decimoquinto exposuerunt; partim verò in specie quarundam traditionum Pontificiarum ἀνασκευὴν μετὰ κατασκευῆς, in sectione altera Confessionis nostræ, quæ est de abusibus mutatis, instituerunt.

V.

Obtigit autem Articulo decimoquinto indigna prorsus variatio, quæ totalem Prototypi mutationem, imò veriùs abolitionem moliri videtur.

VI.

Præbuit hæc variatio Adversarijs uberrimam calumniandi segetem, quam arripiens Andreas Fabricius, Leodius ille, prototypi puritatem his verbis insectatur: 1. In prototypo generatim de omnibus ritibus Ecclesiasticis loquuntur: in exemplari variato ad eos duntaxat contrahunt, qui humana ratione sunt instituti, agnoscentes generalem illam reprehensionem esse impiam & temerariam. 2. Cum ad ritus retulissent etiam in prototypo festa, in exemplari variato nullam

Harm.
Fabricij
pag 260.
a.

A 2.

festorum

festorum mentionem faciunt, eorumque loco cationes reponunt: ne impiè viderentur egisse, qui festa ferè omnia suis in Ecclesijs abrogassent. 3. cùm in prototypo negatum fuerit, traditiones humanas valere ad placandam D E O: Clarissimis Scripturarum testimonijs convicti, in Confessione variata, clausulam illam, quæ agat de placando D E O, iustulerunt. 4. Cùm in prototypo ritus simpliciter ad salutem non esse necessarios differrent: in variata editione cum restrictione dicunt, non esse necessarios ad iustitiam fidei &c.

VII.

Et licet omnes istarum criminationum aspergines à nostrarum Ecclesiarum Confessione firmis rationibus facile abstergi queant: constat tamen talium suspicionum atque insimulationum occasionem, mutationem illam, sine omni iusta ac gravi causâ susceptam, temerè præbuisse,

VIII.

Constat autem Articulus iste partibus etiam duabus *θεσ* & *ἀντιθέσ*: quarum illa nostrarum Ecclesiarum doctrina de ritibus Ecclesiasticis proponit: hæc adversariam opinionem, Pontificiorum cum primis, ritibus istiusmodi opinionem cultus ac meriti affingentium damnat ac reiicit.

PARS I. ARTICULI ΘΕΤΙΚΗ.

IX.

Traditionum sive rituum in Ecclesia duplex quasi est materia: vna fidei; altera morum.

X.

Hinc Traditionum in Ecclesiâ termino indignantur, eorum dogmata, tum ritus atque opera, quæ non tantum non sunt scripta à primo autore, ita ut autor ipsorum ignoretur: sed præcipuè non sunt scripta in Cænicarum Scripturarum, sive Sacrorum Bibliorum codice: quamvis fieri possit, ut alibi sint scripta.

XI.

Traditiones istæ *humane* appellantur: notatâ hoc epitheto earum autoritate, quæ non divina, sed humana est; ac proinde à scripturarum sacrarum autoritate tantum discrepat, quantum homo à D E O ipso dissidet.

XII.

Traditionum huiusmodi usus partim in administratione Sacramentorum publica, partim in privato cultus divini exercitio, obtinuit.

Cujus

XIII.

Cujus generis sunt : In Sacramento Baptismi, trina immer-
sio vel aspersio infantis baptizandi: Signum crucis: Unctio: E-
xorcismus. In Sacramento Cœnæ Dominicæ, panis azymus vel
fermētatus: fractio panis: sumtio in manus elementorum panis &
vini: altarium usus: vasorum materia & forma: vini color: In
Ministerio: distincti gradus ordinum, & distincta officiorum
nomina, vestitus, cæsaries &c: In Oratione, Capitis apertio, ge-
nuflexio, conversio vultus versus ortum, linguæ idioma. In vita
communi piorum, cibus, potus, habitus corporis, somnus, vigi-
liæ, vitæ genus &c.

XIV.

Hæc omnia cum per se, in se, & suâ naturâ considerata ne-
que bonitatis neq; vitij nomen sortiantur: cum bonis & malis,
pijs & impijs communia: ac per se conscientiam utentis non af-
ficiant: ideo μέτρα, ἀδιάφορα, ἀδιάκριτα καὶ ἀπαράτρητα, me-
dia, indifferentia, indilcreta nominari consueverunt.

XV.

Accidit autem ijs vel bonitas vel vitium ex ipso usu, atque
ex respectu & conditione, quam habent annexam.

XVI.

De quo rectè ut constare possit, attendendum omninò fue-
rit, tum quæ hujusmodi rituum sit natura & qualitas quasi inter-
na: num talis, ut rei indifferentis, liberæ ac mediæ nomen &
proprietas veri possint: tum quænam forinsecus accedant
Circumstantiæ & attributa, ex quibus, vel bonitatis laudem,
vel vitij atq; malitiæ notam contrahere illi queant,

XVII.

Prioris γένους notas quasdam nostra exprimit Confessio, *Qualitas*
his verbis: De ritibus Ecclesiasticis docent, quod ritus illi sint *interna*
di, qui sine peccato servari possunt, & prosunt ad tranquillitatem, & *rituum*
bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ Feriæ, Festa, & similia. De ta- *Ecclesiasti-*
libus rebus tamen admonentur homines, ne conscientia onerentur, tan- *corum.*
quàm talis cultus ad salutem necessarius sit.

XVIII.

Quatuor nimirum γνώσιμασι universam rituum Eccle-
siasticorum naturam describens, quorum primum est, ut sine pec- *1.*
cato servari possint, hoc est, *γνώσιμα*
qualitatis
internæ.

A 3

20. Hujus



XIX.

Hujus generis olim fuerant sacra Moloch, Jerem. 19. 5. Sacra Priapi. 1. Reg. 15, 13. 2. paral. 15, 16. Hodiè verò sunt Pontificia mutilatio Cœnæ Dominicæ: Conceptio votorum de fovendo perpetuo cœlibatu, nondum explorato Continentiæ dono: Item Calvinistarum licentia, in mutandis Symbolis sive Elementis Sacramentalibus, quæ sunt pars substantialis Sacramentorum,

XX.

Hæ traditiones, quocunq, tandem fucò tegantur, quia tamen & verbo DEI litem manifestè intendunt, & pietatis nervos incidunt, impiæ prorsus sunt censendæ, ac ex albo & centu rerum verè indifferentium expungendæ.

XXI.

II. Alterum κριτήριον sive γνώρισμα est, ut ritus, qui in Ecclesia γνώρισμα tolerari possunt, profint, sive, sint utiles ad tranquillitatem.

XXII.

III. Cui vicinum est tertium, ut nimirum spectent ad bonum ordinem in Ecclesia conservandum, γνώρισμα

XXIII.

1. Cor. 14, 40. Quò respexisse videtur Apostolus, omnia jubens in Ecclesia fieri ευχημόνως η̄ η̄ντάκτως decenter & bono ordine.

XXIV.

Quemadmodum enim sine ordine, pax & tranquillitas Ecclesiæ conservari haud potest: Ita vix etiam cultus divinus rectè peragitur, ubi ευχημοσύνη exulat; siquidem ritibus illis externis decenter usurpatis, satis probabiliter ostenditur, quid tribuamus verbo, quid Sacramentis, quid reliquis exercitijs Ecclesiasticis, ad τάξις η̄ η̄ντάκτως unice compositis.

XXV.

Patet inde quid Sacramentariorū vertigo monstri alat, dum ipsi nostrorum hominum externam reverentiam, quam participaturi sacris mysterijs, vel genuflexionibus, vel alijs ceremonijs ministerio exhibent, miris cachinnis & sarcasmis exagitant; nempè illos hoc pacto ipsis quoque Sacramentis nullum prorsus vel certè minorem quàm hominibus honorem atq; reverentiam tribuere.

XXVI.

Etsi enim Sacramentorum substantiæ ex ejusmodi externa ac

ac civili observantiâ nihil vel accedit vel decedit : interim tamen de interna fide , inde haud fallibile peti potest argumentum & simul alij quoque ad sacrorum cultuum reverentiam & congressum publicorum in Ecclesia (qui à Cycloporum et porcorum concursationibus distare debent) amorem incitari possunt.

XXVII.

Quartum & postremum *κετρίσιον* est , ne conscientiae talibus ritibus onerentur , hoc est , multitudo & copia eorum vitetur , quæ hominum & cum primis infirmiorum Conscientias facile gravare & offendere posset.

IV.
γνώσιμα

XXVIII.

Et sanè sic à summis Ecclesiae Doctoribus semper judicatum fuit , Quò simpliciore rituum modo utatur Ecclesia , eò Apostolica conformiorem eam esse.

XXIX.

Producunt Pontificij etiam alia rituum Ecclesiasticorum *γνώσιμα* ex quibus de interna ipsorum qualitate iudicium fieri & possit & debeat : ut nimirum doctorum instar sint , & de varijs mysterijs atque officijs pios admoneant : vnde in Romanensium Ecclesia duo distincta illa , Ceremonialia & Rationalia divinatorum officiorum volumina sunt enata.

XXX.

Verùm 1. præter scripturarum fidem & auctoritatem hoc asseritur : 2. Vetus Testamentum cum Novo , & hoc cum illo turpiter confunditur : siquidem illud constat rituum atque umbrarum imaginibus : hoc verò ipsa luce & ipso corpore : ut nihilo magis typis ac umbris hodiè opus habeamus , quam Christianismus cum Iudaismo commune quicquam in externis illis ceremonijs obtinet.

XXXI.

Cæterum ritus sive Ceremoniae istiusmodi , quantumvis suâ naturâ mediæ & ἀδιάφοροι ; interdum pro conditione temporum , locorum ac personarum : interdum verò ex accidente aliquo , suam naturam quodammodo mutant , & ἀδιάφορα esse desinunt.

XXXII.

Priore modo , quando ad tempus aliquid toleratur , quod successu temporis liberum minimè relinquitur ; ut cum Aposto-
lus.

Ius in gratiam infirmiorum Circumcisionis usum aliquandiu liberum retinuit, & Timotheum circumcidit: postmodum vero confirmatis in usu libertatis Christianæ auditoribus, iisdemque rectius institutis, eundem amplius permittere noluit.

XXXIII.

Posteriore modo, cum legitimi mandati interventu fit, ut ejus rei, quæ per se est libera ac indifferens, vel præcipiatur aliquid vel prohibeatur: ibi natura rei adiaphoræ expirat: Siquidem usus ejus non amplius est liber: dum videlicet pie omitti nequit, quod legitime est præceptum: neque rectè fieri, quod justè est prohibitum.

XXXIV.

Etsi enim libertatis Christianæ beneficio à jugo legis ceremonialis liberati sumus: & ex decreto Apostolorum Act. 15, 10. nemini fas jugum istud postliminiò in Ecclesiam revocare: constat tamen Ordini Ecclesiastico suum etiam jus: quod licet conscientias ligare haud possit aut debeat: interim tamen, si contingat contentientibus suffragijs à tota Ecclesia de rebus per se & suâ naturâ medijs ac liberis leges sanciri: ibi pijs omninò illæ servandæ erunt: & ligant eæ conscientias in tantum, ut nemo sciens vel sic præcepta omittere: vel prohibita facere possit.

XXXV.

Vnde Consequens, vitiosam definitionem rerum indifferentium & adiaphorarum esse eam, qua quis ideò sic eas appellari existimat, quasi sine omni exceptione, quoties & ubicunq; libuerit, vel ea, quæ sic prohibita sunt, facere: vel quæ sic præcepta, absq; peccato negligere cuivis liceat.

XXXVI.

Et talis quidem est interna rituum Ecclesiasticorum qualitas & conditio: qui cum ita sint comparati, ut vel benè vel male ijs uti aut non uti possit quispiam, proximum fuerit eorum considerationem instituere, quæ ex usu ipso forinsecus illis accidunt.

XXXVII.

Qualitas externa rituum Ecclesiasticorum De hoc membro hunc in modum disserit Confessio nostra: De talibus rebus admonentur homines, ne conscientia onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit. Admonentur etiam, quòd traditiones humanæ, institutæ ad placandum DEVM, ad promerendam gratiam

gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, adversentur Evangelio & doctrinae fidei.

XXXVIII.

Initiò igitur vitium & malitiam contrahunt traditiones Ecclesiasticæ, quando sub absolutæ & simplicis necessitatis lege, quæ immutabilitatis ac similitudinis universalis consequentiam continet, Ecclesiæ obtruduntur.

XXXIX.

Talis necessitatis opinio tollit omnem libertatis Christianæ usum, in quam per Christum asserti, merito studere debemus, ne ullo pacto, pristino servitutis jugo nos implicari patiamur, sic suadente Apostolo. Gal. 5, 13.

XL.

Tales traditiones sub absoluta necessitate hodiè obtruduntur Ecclesiæ à Pontificijs, quando Quadragesimale jejuniù toti orbi Christiano sub Anathematis fulmine edicunt. Et à Sacramentarijs, quando illi fractionem panis in frusta minuta, in usu S. cœnæ sub necessitate simplici & absoluta requirunt.

XLI.

Laqueos Conscientijs hac necessitatis lege periculossimè injici: pietatis exercitijs magnas remoras & impedimenta obtrudi: libertatis usum omnem tolli, manifestius est, quàm ut operosa probatione indigeat.

XLII.

Et non apparet ullum in Scripturis Exemplum, quo rei per se liberæ atq; indifferentis usus, sub absolutæ necessitatis lege fuerit ab Apostolis præceptus.

XLIII.

Divus certè Paulus, cùm mandatum DEI de cælibatus lege ferenda non haberet, in medio eam, atq; arbitrio piorum positam esse voluit. 1. Cor. 7. 35.

XLIV.

Sic neq; Apostoli, decretum facturi de abstinentia ab idolothytijs, à suffocato & sanguine, sub absoluta necessitate promulgare & sancire illud voluerunt: id quod vel inde patet, quod decreti hujus usus hodiè in toto orbe Christiano exolevit.

XLV.

Sic multas Apostolorum traditiones in primitiva Ecclesia
B usu

usu obtinuisse testatur Antiquitas : quarum tamen omnium usus jam olim etiam desijt.

XLVI.

Quemadmodum igitur necessitatem ordinis boni, & politiae laudabilis, qua tempori, loco, & personis consulitur: qualemque necessitatem & Spiritus Sanctus, & Apostoli in suis traditionibus spectarunt, Act. 15, 20. minimè improbamus: Ita simplicem, absolutam, & immutabilem illam necessitatem, quippe quae rerum adiaphorarum naturam prorsus evertit, nullo modo probare vel possumus vel debemus.

XLVII.

Alterum vitium est, Opinio cultus: quando ritus isti DEO per se ac immediatè placere finguntur: qualem cultum assuunt Pontificij vitae Monasticae, Horis Canonicis, Iejunijs, & similibus Ἰεροδουκῆαιε: de quibus verè Christus pronunciat: Frustrà colunt me docentes doctrinas & mandata hominum, Matth. 15, 9.

XLVIII.

Cui subscribens Apostolus, hunc generalem de traditionibus ejusmodi humanis Aphorismum concipit: Quod si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid, ut viventes in mundo, ritibus oneramini. Ne ederis, neque gustaris, neque attingeris. Quae omnia ipso usu pereunt, secundum mandata & doctrinas hominum, Quae rationem quidem habent sapientiae in cultu voluntario & summissione animi, & in eo quod corpori non parcant: nec tamen ullius sunt pretij, cum ad ea spectent, quibus caro farcitur, Coloss. 2, 20. & seqq.

XLIX.

Quid? quòd natura rerum adiaphorarum Cultus respectu penitus tollit. Neque enim cultus DEI unquam rei indifferentis & per se liberae naturam obtinet: neque vice versa, res libera ac indifferens, cultus DEI (quippe absolute necessarii) per se ac immediatè esse ac dici vel potest, vel debet: quantumvis ea cultui divino, & cultoribus ipsis praeparandis serviat & ancilletur.

L.

Est enim longè aliud & distinctum ipse cultus DEI, qui sine caeremoniarum istarum observatione nihilominus verè praestari potest: & aliud ac diversum, res ac Ceremonia externa, quae

quæ ad cultum illum peragendum forinsecus accedit: ac proinde huic rei, illius nomen & appellatio competere nullo modo potest.

L I.

Regnum DEI, inquit Apostolus, non est esca & potus. Rom. 14, 17. neq; venit cum observatione. Luc. 17, 20. Sed est iustitia, pax & gaudium Spiritus Sancti.

L II.

Tertium vitium est *Opinio meriti*, quando nimirum statuitur, observatione istiusmodi traditionum expiari peccata, acquiri iustitiam coram DEO valentem.

L I I I.

Corrumpi imò penitus everti hac opinione universam salutis & iustitiæ nostræ doctrinam, quæ in sacris proponitur, per se satis est manifestum, & infra in Antithesi aliquatenus demonstrabitur.

L I V.

Convellunt autem tria isthæc vitia usum libertatis Christianæ, ex parte ἰσχυροῦ sive defectus, dum nimirum, in usu rerum adiaphorarum & indifferentium Libertatis Christianæ ius ac privilegium minus observatur, quam fieri oportebat.

L V.

Testatur verò tum superiorum, tum nostri etiam seculi historia, imò universalis experientia, peccari etiam, & quidem læpissimè ex parte ὑπερφωλῆς sive in excessu, circa usum libertatis Christianæ, quando nimirum repagulis & finibus eius disruptis, nimia licentia in usu rerum mediarum permittitur, quæ Charitatem Christianum haud leviter violat.

L V I.

Id quod fit *vel temeritate inconsiderata*, quando usus rerum indifferentium conjunctus est vel cum scandalo infirmiorum: ut cum Corinthij vescebantur idolothyti nulla habita ratione infirmorum fratrum: vel cum proprio periculo, ut cum quis Idololatricarum rerum usu in Papatu constitutus non abstinet.

L V I I.

Vel nimio rigore & profanitate in averlandis & respuendis vel omnibus consuetis in Ecclesia, vel certè plerisque ceremonijs.

LVIII.

Quo modo peccat hodiè gens Sacramentaria, cui uti cum omni disciplina Ecclesiastica ἀσπουδον esse πόλεμον: ita ipsorum palato omnes etiam Ceremonias minus sapere manifestum est.

LIX.

Vnde Reformationum Ecclesiasticarum æstu flagrans, bi-penni magis, securi & igni, quam verbo DEI fundamenta Religionis suæ ponere: & nihil non turbare consuevit. Cujus rei exemplum Reformatio in vicino Ducatu Anhaltino, Spiritu Carolstadiano suscepta, nobis ob oculos constituit.

LX.

Vel deniq; in excessu peccatur *Remissione animi & timidi-tate*: quando nimirum in gratiam hostium veritatis, tempore edendæ Confessionis, Ceremoniæ quædam vel admittuntur: vel abolentur.

LXI.

Prioris generis lapsum videre est in συρράξα illa Interimi-stica, ubi in gratiam Pontificiorum, nihil magis quam Evange-lij omnimodam abolitionem quærentium, in admisione qua-rundam Ceremoniarum Pontificiarum, in abrogatione item aliorum rituum fuit cessum: & cessione ista majores Ecclesiæ turbæ & pericula indies creata, id quod præter alia vel maximè testantur Acta Synodica harum regionum, impressa VViteber-gæ anno 1559.

LXII.

Posterioris generis lapsum vidit nuper ante octennium in hac regione Ecclesia, quando Sacramentarijs, Calvinianum dogma tacitè invecituris, in abrogatione Exorcismi fuit cessum.

LXIII.

Pari ratione hodiè peccaretur, si Sacramentariorum An-haltinorum mutationē Religionis subdolè molientium studia & conatus in abrogatione imaginum, demolitione altarium, de-turbatione Organorum Musicorum, extirpatione cantus figura-lis Latini &c, approbarentur.

LXIV.

Et si enim ex autoritate Magistratus Politici hoc factitari prætexitur: haud tamen obscura esse potest hominum istorum machinatio, quæ doctrinæ γνησίως Lutheranae relegationem unice quærit & desiderat. Sed confundat DEVS & dissipet con-silia eorum: idq; faciat citò. Amen.

LXV.

Quod si verò quærat aliquis, Quid igitur tempore persecu-
tionis, quando hostes veritatis doctrinam Evangelij opprimere
student, sit faciendum? An in usu libertatis Christianæ & rerum
mediarum, ad nutum & placitum adversariorum, Ecclesia Or-
thodoxa componere se possit & debeat; præsertim si hac ratio-
ne doctrinæ Evangelicæ puritatem conservare possit? res satis
est expedita.

LXVI.

Initiò enim in gratiam hostium veritatis, in rebus etiam
verè & per se Adiaphoris nullo modo cedendum: Scriptum e-
nim est: In libertate, qua Christus vos liberavit, stete, & ne rur-
sus iugo servitutis implicemini. Gal. 5, 1. Et cap. 2. 4. propter
subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare li-
bertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, ut nos in ser-
vitudinem redigerent, ver. 5. ijs neque ad horam cessimus subje-
ctione, ut veritas Evangelij permaneat apud vos.

LXVII.

Deinde pericula attendenda quæ ex tali cessione prove-
niunt: Idololatræ enim & hæretici in sua Idolomania & hæresi
magis confirmantur: piæ mentes offenduntur: libertas Christia-
na labefactatur: veritas deniq; Evangelij obscuratur & concu-
titur.

LXVIII.

Quò respiciens D. Paulus, in usu rei merè adiaphoræ pec-
canti & nimium Iacobitis Iudaizantibus indulgenti Petro, in
faciem resistere voluit, ipsumq; publicè hoc nomine corripere. *Gal. 2, 11.
& sequ.*

LXIX.

Tùm si vel maxime lucrum aut bonum aliquod ex cessione
ista sit sperandum: exigui tamen temporis illud est, & ingen-
tia incommoda, quæ inde consequuntur, minuto bono longè
præponderant.

LXX.

Cedendo enim nunquam mitescit: sed subindè magis fero-
cescit Satanas: hostes roborantur atque armantur in sua impie-
tate & erroribus: novarum persecutionum & Schismatum fo-
mes paratur: Ecclesiæ periculum Eridos obijcitur: auditoribus er-
randi atq; dubitandi de religione occasio præbetur: infirmi per-
turbantur & offenduntur. Væ autem homini, per quem venit
scandalum, Quid.

LXXI.

Quid? quòd talem celsionem Confessio veritatis nulla ex parte admittit, quæ cum omnibus temporibus lucere debeat, rùm sanè vel maximè fulgeat necesse est, cum illius edendæ necessitas incumbit? quod fit, cum hostes veritatis Ecclesiam oppugnant.

LXXII.

Hic sanè piorum mentes auresq; semper personet fulmen illud verborum Christi: Qui me confessus fuerit coram hominibus, eundem confitebor & ego coram patre meo cœlesti: Qui me negaverit, negabo & ipsum &c: Matth. 10, 32.

LXXIII.

Et in hoc casu non tantùm negatio ipsa est vitanda: sed & omnis negationis species: ac ne ad horam quidem, vel in minimo est cedendum: sed dicendum cum Mose, pro retinendo libertatis Christianæ jure sarto & testo; Ne unguam quidem hîc relinquemus, Exod. 10, 26.

LXXIV.

Exemplum succurrat Danielis, qui ne quidem clausis fenestris preces facere in gratiam hostium volebat. Daniel. 6, 10. Et Eleazari, esum suillarum carniū in gratiam Tyranni, ne ore quidem simulare volentis 2. Maccab. 6, 24.

LXXV.

Neque est, ut de nullo fidei Articulo hac in quæstione Ceremoniarum agi, aliqui obijciant: Dùm enim libertatis Christianæ causa, dum confessionis edendæ negotium agitur: nihilo levius quàm de his ipsis Religionis articulis luditur: ubi illud Nazianzeni pio cuius occurrat: ἄλλοι μὲν περὶ τῶν δογμάτων παίζετῶσαν: ἡμῖν δὲ τοιαῦτα παίζειν ἔκ ἀσφαλείας.

PARS II. ARTICVLI ANTIΔΕΤΙΚῆ.

LXXVI.

ΑΝΤΙΔΕΤΙΩΣ vicem in Articulo XV. πόρισμα istud sustinet: Quare vota & traditiones de cibis & diebus &c. institutæ ad promeandam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, inutiles sunt, & contra Evangelium.

LXXVII.

In genere partim omnibus traditionibus humanis, partim verò in specie, certis quibusdam, & quidem præcipuis Pontif.

Pontificiorum ritibus ac ceremonijs, ut exempli gratia, votis, discrimini ciborum & dierum &c; Opinionem meriti ac cultus omnem Confessio nostra detrahit.

LXXVIII.

Pontificijs igitur potissimum *ΑΥΤΙΔΕΙΣ* isthæc est opposita, qui in operibus traditionū humanarum cultum esse statuerunt, hodieq; statuunt, quo DEO immediatè serviri possit: 2. Quòd sint utilia ad promerendam gratiam, 3. Quòd valeant ad satisfaciendum pro peccatis.

LXXIX.

Constat hoc ex ipsa Confutatione Caroli Cæsaris, & Catholicorum principum, in ipsis statim Comitijs, huic antithesi opposita, quæ sic habet: *Appendix illius Articuli omninò tollenda est, cum falsum sit, constitutiones humanas ad placandum DEVM, & satisfaciendum pro peccatis institutas, adversari Evangelio.*

LXXX.

Quæ & ipsa olim Scholasticorum Theologorum fuit sententia: ut Thomæ 2. parte secundæ, quæst. 147. Artic. 1. scribentis: *Assumitur jejunium principaliter ad tria: primò quidem ad concupiscentias carnis reprimendas. Secundò ad hoc, quòd mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda. Tertiò, ad satisfactionem pro peccatis. Et Art. 3. & 7. Jejunium utile est, & ad deletionem, & ad cohibitionem culpæ.*

LXXXI.

Scholasticis subscribens Andreas Fabricius asserit, si traditiones istæ de jejunio, de abstinentia ciborum, & similes non conducant ad promerendam gratiam, ad satisfaciendum pro peccatis, se non videre, quorsum his factò opus sit.

Harm. Fabr. pag. 259.

LXXXII.

Monachus à Daventria impium & erroneum esse disertè affirmat, si quis statuatur, *Traditiones humanas ad placandum DEVM, & promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis institutas, Evangelio adversari.*

Har. Fabr. pag. 262.

Et post pauca; pag. 264. *Eadem ratione indicta sunt jejunia, solennes preces & laudes Canonica, ut hujusmodi medijs divinam gratiam, & remissionem peccatorum mereamur.*

LXXXIII.

Subscribit his etiam Iesuita Bellarminus, asserens *Ceremonias aliquas traditionum humanarum vim habere spiritualem: obligare eas.*

in.



in Conscientia: esse res utiles, meritorias & partem quandam cultus divini. Tom. 2. pag. 261. 264. 266. Tom. 1. pag. 1020.

LXXXIV.

Cæterum opinio isthæc obscurat doctrinam de gratia & justitia fidei: meritum Christi evacuat: labefactat verum cultum divinum: evertit præcepta DEI: laqueos denique desperationum Conscientijs injicit.

LXXXV.

Et sanè meritum Christi per observantiam traditionum sub opinione meriti tolli, aut certè enervari, vel indè manifestum est, quod meritum merito conjungitur, humanum nimium divino: ubi tantum divino Christi merito derogari, quantum humano arrogatur, res ipsa loquitur.

LXXXVI.

Hinc tanto tenebrarum & ignorantiae meriti Christi gurgite absorptus fuit Orbis Christianus superioribus seculis sub Papatu, ut citius ex pumice aquam expresseris, quàm ex universa Scholasticorum librorum strue vnum atque alterum de merito Christi testimonium producere possis.

LXXXVII.

Porro verus DEI cultus labefactatur, ipsaq; præcepta divina evertuntur, dum cultus rebus externis inesse statuitur: Siquidem, 1. homines traditiones humanas divinis præferunt: 2. suis traditionibus occupati, divinas negligunt, imò planè irritas faciunt: Quorum illud absurdissimum; hoc cum inexculpabili Dei contemptu est conjunctum, Matth. 15, 6. Marc. 7, 9.

LXXXVIII.

Veritas affirmati constat ex doctrina Pontificia, quæ superioribus potissimum seculis viguit ac floruit: Exempli gratia.

1. *Vnus Deus* est invocandus: Pontificij tradunt venerandas Imagines, & invocandos Sanctos cœlites, & quidem sub opinione cultus.

2. Nomine divino non est abutendum: Pontificij tradunt, vota sub nominis divini prætextu, impossibilia nuncupata, etiã cum animæ periculo esse servanda.

3. Leges divinæ approbant Conjugium omnium eorum, qui donum Continentiæ non habent: approbant item Ordinem Politicum & Oeconomicum: At Pontifex tradit, Qui in Conjugio

Conjugio vivunt, eos in carne vivere, ac proinde DEO placere non posse: tradit item, Monasticum vitæ genus reliquis hierarchijs omnibus, cum præjudicio spiritualis vitæ, modis omnibus esse præponendum.

4. Conjugij castum usum Lex divina præcipit, prohibet omnis generis vagas libidines, scortationes, adulteria. Papa non supra modò, sed & incestus, recenset inter peccata venialia, dummodò Conjugio Clerici abstineant, &c.

LXXXIX.

Quibus ita constitutis, meritò Pontificiorum doctrinam, qua illi traditionum humanarum observationem 1. meritoriam & satisfactoriam pro peccatis 2. cultum DEI, 3. simpliciter etiam extra casum scandali necessariam esse, statuunt, rejicimus & damnamus, freti dilucidis scripturarum testimonijs. Matth. 15, 9. Frustrà colunt me, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum Rom. 14, 17. Regnum DEI non est esca aut potus. Coloss. 2, 16, 20. & 21. Nemo vos judicet in cibo aut potu, vel in parte est, vel novilunij, vel Sabbatorum: Quod si cum Christo mortui estis elementis mundi, quorsum ceu in mundo viventes, statuta talia facitis: Ne tetigeris, neque gustaveris, neque contrectaveris, &c. 1. Tim. 4, 1. & 3. Spiritus deceptionum ac doctrina dæmoniorum est prohibere matrimonium: abstinere à cibis, quos Deus creavit ad participandum cum gratiarum actione &c.

XC.

Rejicit autem in specie etiam Confessio nostra Traditiones Pontificias de votis, de cibis & diebus: Vota quidem intelligens non ea quæ in scripturis celebrantur, quæ liberè, spontè, ac deliberatè concipiuntur, in rebus honestis licitis & possibilibus, eum in finem, ut gloria DEI & commodum proximi quærat & promoveatur: Sed ea duntaxat, quæ à Pontificijs mandantur, quæ sunt coacta, temeraria, inconsulta, impia, superstitiosa: qualia sunt Vota Monastica omnia: de quibus per quàm & prolixè & accuratè differit Confessio nostra Articulo sexto mutatorum abusu.

XCI.

Sic per traditiones de cibis & diebus intelligunt Confessores nostri jejunia Pontificiorum, quæ primùm vitiosa sunt quoad materiam. Nam jejunij ratio, qualis in sacris describitur, omnimo-

omnimodam requirit à cibo potuq; abstinentiam. 1. Sam. 7. Io-
næ. 3. Pontificij verò cibos potumq; admittunt, imò (ridiculè)
in ipso certorum ciborum delectu, jejunij vim ac substantiam
penè omnem collocant.

XCII.

Deinde Jejuniorum usum scriptura nulli certo tempori,
aut certis quibusdam diebus assignat: sed necessitatis casui, &
periculorum ac calamitatum publicarum ingruentium momen-
tis liberum ac proprium concedit. At Pontificij fixum, statum
atq; anniversarium jejunium, quod Quadragesimale appelli-
tant, sub absoluta necessitatis specie constituunt & urgent.

XCIII.

Cui cùm tertio loco meriti ac cultus opinionem assuant,
tanto plus virij, peccati, impietatis ac blasphemiae illud obti-
nere manifestum est.

Π Ο Ρ Ι Σ Μ Α .

Ex Art. 2. abus. mutat.

QUæritur: An ulla aliqua sit humana potestas
vel autoritas, qua Sacerdotibus, vel ordini Ec-
clesiastico prohiberi possit Conjugium: & sic hoc
genus hominum Continentiae voto astringi: ut nec
ducere ipsis uxores, nec uxoribus antea ductis, uti
amplius post ordinationem liceat: adeò ut si diver-
sum fiat à quoquam, non modò ministerium ipsi-
us totum reddatur inefficax: ipsum etiam matri-
monium dissolvendum: sed & pœnis ac supplicijs
capitalibus in talem hominè animadvertendum?
Negantem contra pontificios tuemur, ijs potissi-
mùm freti rationibus, quæ Articulo secundo mu-
tatorum abusu, fusè & accuratè à Confessori-
bus nostris enarrantur & explicantur.

DEO GLORIA.

o.
)
n
s
e
n
i.
s
i.
s
c
c
ti
r
i
s
?
i
u
i



1/1935 a


ULB Halle 3
001 541 250



56







DISPUTATIO XIX.
DE TRADITIONIBVS
HUMANIS IN ECCLESIA.

*Ex Articulo XV. Confessionis Augustanae & 2.5,
& 6, articulis mutatorum abusum:*

Quam

Sub auspicijs divini numinis

Sub Praesidio

LEONHARTI HVTTERI, S. Theologiae Doctoris, & Professoris publici:

defendet

M. JACOBUS SETZRIUS Bur-
gensis Saxo.

Mense Majo, horis locoq; consuetis.



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno dō 1698.